

enburg
14950





EXERCITATIO ACADEMICA

AD

PRIVILEGIUM NO-
VVM, DE NON APPEL-
LANDO, DUCUM BRNSUIC.
AC LUNEBURGENSIIUM

QUAM

A. D. T. O. M.

PRESIDE

Magnifico, Amplissimo & Consultissimo

VIRO

DN. JOH. OTTONE TABORE,
U. J. D. COD. ET FEUDALIUM PLACITO-
rum in Alma Argentoratensium Unversitate Professore
celeberrimo, Facultatis Juridicæ Seniore ac hodiè Re-
ctore dign. Præceptore & Fautore suo pluri-
mùm observando

Publicè ac solenniter examinandam proponit.

JOHAN OTTO Von Mandelslo /
Luneburg.

Ad diem 2^o Mens. Januar.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLBI,
ET JOSIÆ STADELII,

Anno M. DC. L.


627.

1650, 11.

26



Avita prosapia gloria, suaque virtutis claritudine Nobilissimo Dn. Respondenti. P.S.



Uæ mihi misisti, proprio conscripta labore,
Themata, sunt obiter lecta, probata mihi,
Censendi arbitrium non permisere volenti
Tempora, quæ studiis dedita sunt aliis.
Nec minor hinc placitis exsurget gloria cæptis,
Ni cui, præ propriis, fors' aliena placent.

scr.

Exercit. Præses.

Splendore Generis, germana virtutis & eruditionis laude Nobilissimo florentissimoque Dn. Respondenti

Convictori ultra biennium mihi suavissimo.

MANDELSLOE Patris Magni Generosa propago,
Et mensæ & cordis portio grata mei
Quando, quod ingressus semel es, felicibus ausis
Nobile virtutis carpere pergis, iter.
Gaudeo Te propter, Patriamque, Patremque: precatus
Ex animo cæptis fata secunda tuis.

*Amoris officiique restandi ergò
gratulabundus scrib.*

Johannes Schmidt, SS. Theol. Doct.
Prof. Ordin. & Conventus Ecclesiastici Præses.

Ad Nobiliss. Dn. Respond.

Decus modestæ mentis atque amabiles
Mores tuos laudare longo carmine
Testem atque amicum dedecet domesticum.
Te pradicat, te laude maxima vehit
Memor tuæ virtutis alma Julias.
Respondet Argentina Rheni ad flumina,
Quâ Tabor, ille mysta maximus sacra
Themidos, ferit sublime cælum vertice.
Doctore tanto scandit Otto pulpita,
Otto meus, doctisque verbis differit,
Quæ plurimo labore ad usus publicos
Collegit, & quibus redux in patriam
Stirpis vetusta gloriam tuebitur.
Salve, caput carum atque flos aqualium.
Te sospitet, tuosque conatus iuvet
Summus parens, rex & creator omnium.

Ita ex animo precor

Paulus von Eizen.





Exercitatio Academica ad Privilegium novum de non Appellando,

**DUCUM BRUNSVICENSIVM
AC LUNEBURGENSIVM.**

T H E S I S I.



Ppellatio vel provocatio antiquissimam habet originem. Deprehendimus enim jam tum, cum Israelitæ ex Ægypto Divinâ manu educerentur, hisque ministerio Moysis, Sanctissimus ipse, justissimas leges, novam rempublicam constitueret, non obscura provocationis impressa vestigia: nempè intelligo illud, quod Exod.18. Moyses ex consilio soceri sui constituit iudices, qui deciderent causas & controversias leviores, majores ad se referrent: nec quisquam dubitaverit, quin permissum fuerit populo, si se injuria à iudicibus illis affectum putaret, Moysen interpellare. *Bachov. ad Trentl. p.2. disput.33. th.1. in princ.*

2. Unde non immeritò Jcti ad jus naturæ eam retulisse videntur *ex c. ad Roman.6. & 8. caus.2. q.6. in verbis illis: nec debet mater oblivisci filium suum,* item ex eo, quòd Apostolus Paulus Act.25.v.11. eâ usus est, quâ sine dubio abstinuisset, si ea juri naturæ repugnaret.

3. Est nimirum appellatio defensionis naturalis species *l.3. de 1. & 1. ut quæ succurrat contra prætenfam iudicis injuriam l.1. ff. de Appell. in princ. nec credendum est, Jctum in d. l.3. saltem censuisse defensionem naturæ jure licitam, tantum contra manifestam & certam violentiam,*

A inju-



injuriamque bonis & famæ illatam, (*quemadmodum illum
textum accipere videtur Bachov. d. l.*) Sed potius omnem
injustam oppressionem arcere naturam à civibus suis vo-
luisse, sentiendum: cùm publicè pro sit, singulis legum
adminicula & innocentia præsidia non denegari, *l. unic. C.
de sent. Præf. Præf.* Unde in *l. 6. de Appell.* tantus favor pro-
vocantium est, ut non tantùm ei, qui ad supplicium duci-
tur, provocare permittatur; verum alii quoque nomine ejus
cuicunque: credo enim, ait *Jctus*, humanitatis ratione
omnem provocantem audiri debere. Propterea & tiriaca
vocatur appellatio, contra judicis injusti venenum, *Andræ.
Knichen. de jur. Sax. non provoc. in verb. jus c. 2. n. 63. & cap.
3. n. 58. ibid. herba Betonica contra omnia mala*, pendetque
adeò appellatio ex eodem fonte, ex quo Magistratus omnis
& suprema Majestas, quorum officium ea implorat, ne ho-
stis naturæ, injustitia, dominetur; qui etiam Magistratus
opè suam denegare non possunt, nisi simul officium suum
ejurent. Cur enim, inquit *Julianus*, ad arma & rixam pro-
cedere patiatur Prætor, quos potest suâ jurisdictione com-
ponere *l. 13. §. æquissimum ff. de usufruct.*

4. Nec obstat his, quod *Jctus* in *l. 1. ff. de Appell.* di-
cit: nonnunquam benè latis sententias in pejus reformari:
Neq; enim utiq; melius pronunciare eum, qui novissimus
sententiam tulit. Ex quo inferri posse videtur, cùm veritas
juris naturalis sit, & nunquam rerum gestarum erroribus
vitietur, ut *Ulpianus* ait in *l. 6. §. 1. de offic. Præsid.* non posse
appellationem dici juris naturæ, quia interdum falsum fo-
veat, & producat *d. l. 1. ff. de appell. & l. 25. de statu hom. ibi:
res judicata pro veritate accipitur.*

5. Respondeo enim fieri hoc per accidens, quòd ul-
tima sententia, quæ in appellationis instantiâ fertur, inter-
dum injusta sit, & pejor eâ, quæ in primâ instantiâ lata erat:
Interim intentio partis appellantis, & Legislatoris appella-
tionem in Republicâ approbantis, non est nisi ad verum &
justum

justum directa. Quod autem *in d. l. 25. de statu hom.* dicitur rem judicatam pro veritate accipiendam esse, hoc fieri puto propter publicam utilitatem. Certè enim judicia constituta sunt nullam aliam ob causam, quàm ut litium finis fit. Quòd si verò non esset in Republicâ ultimum quoddam judicium, in quo terminaretur tandem cognitio, & in quo acquiescere cogerentur disceptantes, facilè apparet immortales lites fore, & progressum in infinitum admissum iri, à quo tamen natura ipsa abhorret.

6. Constituto sic, appellationem juris naturalis esse; exoritur maxima dubitatio, *an & quatenus eadem aut statutis aut privilegiis restringi possit?* in quâ quæstione tractandâ, non abs re fore putavi, cum facilioris ordinis causâ, tum etiam complendo juri publico, (quod ad hoc quidem caput attinet) si mihi ante oculos ponerem novum privilegium, quod Gloriosissimus & potentissimus Imperator Ferdinandus III. anno hujus seculi 38. Illustrissimis Principibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus, Dominis meis clementissimis &c. concessit. Quodq; productum in Camerâ imperiali est anno hujus seculi 43. mense Octob. & ab eâ, causa cognitâ, pro insinuato acceptum. Extensum etiam noviter ad majorem summam, quemadmodum infra dicitur. In quo considerabimus 1. an possit restringi appellatio? 2. à quo possit 3. quomodo tales restrictiones accipiendæ. 4. quid per hoc privilegium nostrum veteri fuerit additum. 5. quàm utile sit terris & principatibus, Illustrissimis Principibus meis subjectis, tale privilegium. In quibus explicandis spero, candidum & benevolum lectorem, quæ pro ingenii modulo dixero, æqui boniq; consulturum.

Primum caput, quod attinet; an omninò appellatio, jure naturæ licita, restringi possit? de eo neminem facile dubitaturum arbitror, cum ratio naturalis illud ipsum non obscurè insinuet. Ut enim supra indicavimus, finis omnium magistratuum, judicumque in republicâ, in eo est



positus, ut civibus justitia administretur, iidemque invicem
tranquillè & beatè vivant. Nam sine istorum operâ nun-
quam videtur respublica fore beata, cùm, *ut Cic. lib. 2. epist.
ad Atticum*, non vivamus inter perfectos homines, quiq;
suâ sponte malo & alieno abstineant manus, & cupiditates
habeant domitas, sed, *ut ille ait*: in fæce quasi Romuli, hoc
est; inter eos, qui nisi cogerentur, nunquam spontè probi
essent. Ergò si eadem justitiæ ratio requirat, ut eorum sen-
tentiis robur addatur, qui aliàs infra supremum in republi-
câ magistratum constituti sunt, poterit sine dubio is, qui
summæ rei præest, suo juri detrahere, inferiori addere.
Nam salus populi suprema lex est, *Cic. de LL. Et ut Justinia-
nus Nov. 39. c. 1. ait*, ea, quæ communiter omnibus profunt,
iis, quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponimus.

Exemplum habemus in ipso jure Justiniano, quod
nobis probet restrictionem appellationis juri naturali con-
trariam non esse, *l. un. de offic. præf. prætor*, ubi in §. 1. dici-
tur: his cunabulis præfectorum authoritas initiata, in tan-
tum meruit augeri, ut appellari à præfectis prætorio non
possit. Idem dicitur *in l. 19. C. de Appell.* & alibi ratione sub-
jectâ *in d. l. un.* Credidisse principem eos, qui ob singula-
rem industriam, exploratâ eorum fide & gravitate ad ejus-
officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicatos
esse pro sapientiâ ac jure dignitatis suæ, quàm ipse foret ju-
dicaturus. Quæ verba evidenter innuunt, posse, scilicet ob
publicam utilitatem, inferioribus à Majestate tantam pote-
statem concedi, ut ipsi terminum litibus civium ponant,
quem aliàs sola Majestas ponere deberet, ob electam ad of-
ficia personarum industriam, & quòd unus omnibus ne-
gotiis superesse non possit.

7. Ex quo simul ad secundum caput propositum
facilior aditus est. Cùm enim nemo per naturam dare
non possit potestatem, quàm qui eandem, virtualiter sal-
tem, habet; haud difficulter patet, neminem præter Impe-
ratorem

031

ratorem in republicâ nostrâ, in aliis, eum, qui Majestatem
habet, hanc potestatem, remotâ appellatione cognoscendi
judicandique, concedere posse. Neque enim aliis ab his
jus est superioris juris intervertendi, *ex l. 20. ff. de jurisd. ibi:
supra jurisdictionem, nec statuendi potestas de eo, quod publi-
cè utile sit.* Hæc enim cura solius Majestatis propria est.
Unde rectè Knichen. *d. comm. de Sax. non prov. jure verb.
jus, cap. 2. n. 191. & seqq.* sentire videtur: quòd licet suo mo-
do concedendum sit, principes Imperii in suis territoriis,
eâ uti potestate, quâ Imperator in universo Imperio: Ta-
men eosdem principes statuto aut lege suâ appellationes ad
Cameram prohibere aut tollere non posse; Camerales hu-
jusmodi appellationes nihilo secius recipere, non quia de-
fensionem auferant ista principum jussa, *quod existimave-
rat Gail.* ut ibidem Knichen. ait, sed quoniam Camera
Imperatoris & communibus statuum suffragiis constituta
est, ut ad eam beneficio appellationis causæ devolvantur,
ideo si huic per statutum contradicant principes, videri eos
contra legem inventionis facere & statuendi potestate de-
stitui. *vide eundem ibid. n. 69. 70. 71. 72. 73. 74.*

8. Non tamen inde sequeretur, principes & reli-
quos Imperii status nudos administratores esse, aut perpe-
tuos quosdam usufructuarios, *ut quidam olim somnare vi-
debantur,* cùm contra verissimum sit, eosdem provincias
suas ab Imperatore & Imperio per investituram acquisitas,
jure hæreditario & ad posteros transmissibili possidere, in
vim utilis dominii, *arg. c. unic. §. rei autem 2. Feud. 8. atque
ita tenere easdem jure patrimonii, Gail. lib. 1. de P. P. cap. 6.
n. 10. Paurmeist. de jurisd. lib. 1. cap. 26. n. 12. & lib. 2. cap. 2.
n. 62. alique passim.* Tantò magis igitur verum erit, nec
principes, cùm inferiores sint, Imperatoris juribus deroga-
re; nec optimum Imperatorem jurisdictionem illorum
turbare vel infringere velle, sed potius tueri, *arg. l. 23. C. de*

testament. ubi absurdum dicitur, si promiscuis actibus officia turbentur.

9. Tertiò inquirendum nobis est, quomodo istiusmodi restrictiones appellationum sint intelligendæ; nempe ut ex ante dictis constat, non tam defensio jure naturali competens tollitur, aut omnimoda invocatio superioris potestatis contra intermediorum magistratum aut imperitiam, aut iniquitatem: hoc enim fortasse nullo jure fieret: Sed formalitas provocandi & modus solummodo tollitur & alteratur, in certis causis certaq; summa in controversiam deducta, ne mali cives, quique pruritu litigandi æstuant, indeq; cunctationes & impedimenta executionum obviis ulnis amplexantur, alios in jure suo consequendo impediunt, seipsos inanibus sumptibus vexent, licet sæpè obtinendi spem nullam habeant, *ut dicit Ulpianus in l. 1. de inoffic. testam.* Interest quippe reipublicæ, ne quis suâ re malè utatur.

10. In his itaque restrictionibus non est existimandum, quasi subsidia juris cujusque consequendi litigantibus civibus adimantur, arctenturve, cum potiùs vel maxime jura hic demum observari videas. Nam cum Justinianus Imperator *in l. un. C. ne liceat in uxâ eademq; causâ tertio provoc. &c.* constituerit, ne cui debeat licere tertio in eadem lite super iisdem capitulis provocatione uti: Ratio manifesta est, cur restrictio laxi illius juris appellandi ad summum in reipublicâ, meritò in quibusdam causis & personis probari debeat, quòd & probabile non sit iudices inferiores toties cognoscendo à recto justoq; deviare, *ex Platonis & Thomæ sententiâ, relata à Knichenio cap. 3. n. 39.* & celeritas in sopiendis & finiendis privatorum litibus debeat reipublicæ esse quàm commendatissima, *l. 13. in princ. C. de judiciis.*

11. Quem etiam in finem apud omnes Germaniæ provincias, nominatim etiam in inferiori Saxoniâ nostrâ
plura

plura judicia, instantiæ, gradus judicantium sapientissimo
 instituto ordinata sunt, per quæ omnia, ritè atq; ordine cau-
 sæ ventilentur, ut non absurdè dici possit, *cum sæpè citato*
Knichen. n. 43. c. 3. Impossibile videri, ut aliò, quàm prote-
 landæ litis fine appellatio ad Cameram multoties interpo-
 natur, cùm litigator tot beneficiis suspensivis, & quidem in
 diversis instantiis usus, ulterius effugia quæritat. Videmus
 enim ipsa jura civilia supervacanea remedia, & frustraneos
 actus sæpè abhorrere, *textus sunt in l. 14. §. Divus. ut Lega-*
tor. nom. caveat. l. 1. quod metus causa. l. 45. §. fin. de Procurat.
 Imò ubi res ordinario remedio præparari potest, ad Impe-
 ratorem recurrendum non esse, *in l. unic. C. de thesau. lib. 10.*
 manifestè traditur. Quid enim tam iniquum est, quàm sen-
 tentiam tot accedentibus consiliis dictam, tot spectatam
 oculis, tot insinuatam sensibus adhuc in dubium trahere
 conari, *contra l. 8. in fin. C. qui testament. facere possunt.* Ef-
 fet illud nihil aliud, quàm dare operam, ut per calumnian-
 tium cupidinem nullus finis litium, nulla executio esset, sed
 ut illæ omninò redderentur immortales.

12. Intelligimus jam ex dictis, privilegia de non ap-
 pellando sive generalia, hoc est omnem facultatem appel-
 landi à quibuscunq; sententiis prohibentia, *quale Carolus IV.*
Imperator in Aurea Bulla cap. 11. §. Und sehen darzu / omni-
bus Imperii Electoribus concessit, sive specialia, & inhibentia
 appellationem ad Majestatem in quâq; republicâ in certis
 causis & summis determinatis, *quæ pleraque reliquorum*
statuum imperii sunt, non tam transferre Majestatem ipsam,
 quàm jura & signa quædam Majestatis, efficereq; , ut is cui
 hoc privilegium remota appellatione recognoscendi, con-
 cessum est, vel simpliciter & in certis causis, Imperatoris vi-
 ce sententiam proferat; unde facilè apparet, Imperatorem
 hoc jus non privativè, sed cumulativè tribuisse, scilicet re-
 tenta sibi supremâ inspectione; quo casu verum est, quod
 dicitur, Imperatorem cum quolibet statu imperii in jurif-
 dictione

ditione concurrere, *arg. cap. Dudum. 14. §. nos igitur, de præbendis in sexto &c.*

13. Nec minus etiam hoc patet ex eo ipso, quòd Imperator, vel quælibet alia summa potestas, Majestatem retinet; remanere nihilominus recursum aliquem ad superiorem, nec privilegia de non appellando aliud, quàm ipsa propriè dictas appellationes tollere aut remedia æquivalentia; igitur ubi status Imperii alicui justitiã negaret omninò, non obstantibus privilegiis de non appellando, negligentiam hanc in officio Imperator meritò corrigeret. Quod non solùm finis summi, publicæ salutis, ratio evincit, verùm etiam expressè constitutum *in ordin. Camera part. 2. tit. 26.* quo pertinet, quod tradunt *Myns. 5. observ. 82. n. 4. & Gaill. 1. obs. 28. n. 3.* de denegatã justitiã, ob eamque causam competente recursum ad superiorem, non obstantibus privilegiis.

14. Ubi tamen illud prætermittendum non est, quòd licet *Gail. d. l.* tria requirat ad hoc, ut Camerae jurisdictio propter denegatam justitiam fundetur (1.) ut iudicium nondum coram inferiore iudice cœptum sit; nam cœpto semel iudicio non ex causã denegatæ justitiæ per modum simplicis querelæ superiorem adiri, sed per appellationem causam ad Cameraam devolvi (2.) ut iudex justitiam denegans immediatè Camerae subjectus sit, (3.) ut justitia expressè & manifestè sit denegata, juramento partis, dicentis se non sperare consequi justitiam, non credi. Attamen primum requisitum falsum, iudicari ab his, quos citat & sequitur *Dn. Mylerus in addit. ad Rumelinum comment. in Auream Bullam part. 2. diss. 2. th. 13. lit. b. p. 379. addita ratione ex Recess. Imperii anno 1600. §. Ob auch promotoriales,* Itemque cum *Myns. 3. obs. 38.* verius censerit: etiam in Camera juranti, *se non sperare justitiam consecuturum,* promotoriales decerni.

15. Tandem pertinet ad intelligentiam horum privile-

vilegiorum illa etiam vexata quæstio: *an privilegia de non appellando simpliciter, vel in certis causis cōcessa, eo usq; se extendant, ut illorum vigore nullitatis quoq; querela, vel simpliciter vel quantum ad certam illam causam prohibita censerī debeat?* Communis regula quædam traditur à doctoribus, quod, quibuscunq; Imperatoris privilegio appellationis remedium denegetur, illis nullitatis deductio non æq; adempta censeatur, Gail. 1. obser. 135. n. 3. Scipio lib. 2. Decisionum Cameralium decis. III. n. 20. Myns. 4. obser. 63. & 64. & 5. obs. 91. & alii innumeri. Rationes eorum sunt, 1. quod diversa & separata sint remedia nullitas & appellatio, unde eorum sublato uno, non continuò alterum, tolli, sed potius superesse, argum. l. 21. ff. de servit. prad. urb. Gail. d. l. n. 4. 2. Per regulam itidem generalem, quæ desumitur ex l. 12. ff. de judic. & expressè proponitur in l. 32. in fin. C. de Appell. quòd, quicquid non est prohibitum, stare & permissum esse existimandū sit, ex quâ regulâ tanto firmior consequentia astruitur, cū sit apud doctores in confesso, privilegia ista de non appellando esse odiosa, utpote detrahētia naturali facultati, ideoq; meritò restringenda. 3. Quòd videatur hoc certo jure constitutum, c. inter ceteras. 9. extr. de sent. & re jud. ejus capituli verba hæc sunt: *cū causa aliqua, appellatione remotâ committitur, & sententia fertur iniqua, eam evacuari oportet: nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam.* Undè rectè videntur doctores à clausulâ hâc, *appellatione remota*, argumentari ad privilegium appellationes inhibens, his scilicet nullitatis quæstionem sublatam non esse. 4. Inde nec statuto, nec pacto *si remittatur appellatio*, nullitatem remissam esse, Gail. d. obs. & alii inferunt, quia nulla injustitia major nullitate, adeò ut judex nulliter spoliare etiam dicatur &c.

16. His tamen omnibus, ut üt solidis rationibus suffultis, animosè rejectis, Knichen. in d. comm. de Sax. jur. nō prov. ad verb. *Privilegium c. 1. per tot.* Contrarium statuit,

B

putat-

putatque ab Electorum & Ducum Saxoniae (de his enim ibi speciatim agit) sententiis omninò non provocari, nec nullitatis velamento posse. Disputationis prolixæ, rationes potissimæ hæ sunt 1. quod *in cap. 1. Clement. de sentent. & re judic.* dicatur; eum, qui in aliquâ causâ tres contra se sententias reportaverit, ad agendum de nullitate ipsarum vel alicujus ex eis, nullatenus debere admitti. Addens rationem in princ. ibidem, ut calumniis litigantium occurratur. 2. Quia nisi illud statueremus, inquit, privilegium redderetur inutile & ut ajunt, illusorium; facilè enim esse, ut nullitatis pallio appellationem occultemus; ita fieri, ut privilegium non rebus, sed verbis tantùm sit latum. 3. Quia non sit concedendum una via, quòd altero prohibetur *l. 16. ff. de sponsal. l. 32. ff. de pact.* cùm manifestum sit hæc ratione non attentâ, perveniri eodem nullitatis querela, quo aliàs per appellationem ventum esset, *text. in l. 46. ff. de Fidejuss. 4.* Quod Gail. *1. obs. 127. n. 6.* dicat: esse in arbitrio & optione gravati, utrum nullitatem coram eodem iudice deducere velit, an verò coram iudice appellationis. 5. Denique propter illa verba privilegii Saxonici: *Dasß von keinem bey oder endtvrtheil/ erkandnussen/ Decreten/ abschieden/ &c. appellirt/ supplicirt/ noch reducirt werden soll noch mag/ auff keinerley weisß/ vide Knich. d. l. n. 46. 47. &c.* ubi hæc verba vult omnia includere, quæ excogitari possunt n. 149. & quæ alia ibi cumulat prolixè.

17. Sed his omnibus non obstantibus verior est sententia prior, scilicet; non obstante privilegio de non appellando, super nullitate sententiæ apud superiorem *e. gr. in Camerâ Imperiali*, subditos conqueri posse, ex rationibus ante allatis: quam ipsam etiam sententiam in Camerâ observari affirmat Scipio *lib. 2. decis. Cameral. decis. III. nu. 20.* & testatur Carpzovius in *Jurisprudencia forensi p. 1. const. 20. defn. 24.* in ipsâ Saxonîâ hoc ita in praxi receptum, refertq; præjudicium Scabinorum Lipsensium, quo responsum est, eum

eum, contra privilegium de non appellando peccasse non videri, qui per viam simplicis querelæ & ex capite nullitatis causam è Ducum Vinariensium dicasterio ad Cameram Imperialē extraxerat. Ad rationes Knichenii facilis responsio, & primùm quidem *ad Clement. 1. de sentent. & re judicat.* dicendum cum *Myns. 6. observ. 4.* contra tres conformes sententias etiam admitti querelam nullitatis, si nullitas ex iisdem actis probari possit in continenti *nu. 4. ibid.* Imò, etiamsi mille sententias dedisset, qui iudex incompetens erat, semper admitti exceptionem nullitatis, & impedire executionem, tametsi altiorem exigat indaginem, *in fin. ibid.* Reliqua quæ objicit Knich. non sunt magni momenti: in genere n. sufficit responsio *Carpzovii loc. cit.* non reddi elusorium de non appellando privilegium, etiamsi dici queat, quemvis appellare volentē nullitatem prætere posse, quia sententia, quæ vigore privilegii de non appellando in rem judicatam transit, statim executioni mandatur, quam nullitatis exceptio, vel processus non impedit, nisi evidens & notoria foret *l. ult. C. si ex fals. Instrum. judic. sit.* Et sic privilegium de non appellando operatur hoc, quod executio in continenti, non attento nullitatis processu, fieri possit, *Gail. obs. 135. lib. 1. n. 7. in fin.*

18. Quartum caput quod discursui nostro proposuimus; discutiet: *quid & quantum privilegio Ducum Illustrissimorum Brunsvic. & Luneburg. veteri additum sit?* Et primò quidem dicimus privilegium vetus auctum esse in summa & quantitate: Notissimum enim est, cameram Imperialem, utpote supremum Imperii nostri iudicium, ne vel multitudine causarum obrueretur, vel confunderet iurisdictiones statuum, statim ab initio ad certā quantitatem limitatum & restrictum fuisse, infra quam causæ non reciperentur, & primò quidem statutos fuisse 50. florenos Rhenenses, postea 150. tandem 300. *ex recessu Imperii de anno 1600. §. Wieswol nun auch, videatur Gail. 1. obs. 123. per tot. Limn. 9. l. P. c. 2.*

2.164. Verum ultra eam trecentorum aureorum Rhenen-
sum summam quicquid excedit, id velut exceptio à regula
& privilegium est. De aliis & variis privilegiatis summis ni-
hil attinet hic dicere. Illustrissimi Principes Brunsvicensis
& Luneburgenses olim à Maximiliano II. anno 1566. impe-
traverat, ut nisi summa excederet 400. florenos aureos à sen-
tentiis eorū appellari non posset: Impetrantes fuerunt Hen-
ricus & Wilhelmus piæ memoriæ principes. Hoc primum
privilegium. Postea anno 1597. Rudolphus II. gloriosæ me-
moriæ Imperator auxerat ad 800. florenos aureos, quod va-
luit usque an annum 1638. quo Ferdinandus III. gloriosissi-
mus Imperator benignissimè illud porrò auxit ad mille au-
reos Rhenanos, verba illa sunt: *Das niemand von denen
urtheilen / welche an Ihr Fürstlichen Cansley vnd Hoffge-
richt außgesprochen / vnd die weniger dann ein tausend Gold-
gulden Hauptsumma 9. Goldgl. zu 10. thal. in sich begreifen //
deßgleichen auch in Schuldsachen / da das debitum bekand-
lich / oder sonst scheinbar liquidum vnd richtig / ob gleich die
schulden ein weit mehrers / als die angeregte privilegirte sum-
ma der tausend Goldgl. anreffen würde / vnd dann in den
injurien vnd handlungen / in welchen der Verleumbdungen //
frevel / schmach vnd scheltwort halber Bürgerlich ad æstima-
tionem geklagt würde / vnd die billige æstimation die obbe-
stimbte tausend Goldgulde nicht vbertresse / an den Keyserli-
chen Hoff Rath oder das Cammergericht appelliren / suppli-
ciren / oder reduciren / besondern alles was dagegen vorge-
nommen ganz krafftlos vnd nichtig sey. Oder wan gleich die
Hauptsach vber ein tausent Goldgulden / doch ein jeglicher
appellant ehe dessen appellation deferiret / den End für ges-
fährde / vor dem Richter voriger instans schweren / daß Er
glaube eine rechtfertige sach zu haben / vnd nicht appellire die
Sach auff zu halten / etiam ut præstet cautionem de refun-
dendis expensis sub poenâ centum marcarum aurei. Tan-
dem idem, Serenissimus & potentissimus Imperator noster,
usque*

35

usque ad summam 2000. aureorum Rhenensium Clementissimè provexit, retentis iisdem formalibus, additoq; insuper privilegio Electionis Fori, an nim. Princeps conventus ab aliquo velit in aulâ Cæsarea? an Camerâ Imperiali Spirensi respondere?

19. Summa igitur appellabilis hodiè est, *bis mille f. Rhenens.* liquidæ rationis summæ, etiâsi cætera excedat privilegiatam Quæ ampliatio non caret ratione. Nam cum naturâ æquum sit, id, quod certū est, certiorari amplius non debere *l. 1. ff. de act. empt. in fin. & 2. liquidum habeatur, quod in promptu liquidari potest, docente Antonio Fabro in C. lib. 4. tit. 23. def. 2. n. 3. 3. in terris & provinciis Saxonis seu consuetudine seu legibus earum regionum introductum sit, ut super instrumentis liquidis non habentibus vitium aliquod visibile, quatenus non continent pactum turpe, contra debitorem præcisè fieri debeat executio, ex ord. Elect. August. anno 1555. Carpzov. p. 1. Const. 17. def. 32. n. 4. Unde in Ducatu Brunsvicensi ex ordinatione Cancellariæ: Solten die appellationes so von claren Brieff vnd Siegeln interponirt nicht attendirt werden, ita secundum D. Friderici Ulrici constitutionem, wird auff klare Brieff vnd Siegel executivè erkand vnd keine andere exceptio, als Solutionis zugelassen. Hinc prudentissimè Imperator non solum ex æquitate naturali, sed etiam ex officio magistratum, (quod est lites deminuere, & unicuique jus suum quàm ocysimè tribuere,) denique convenienter legibus Saxonis privilegium hoc novum ita attemperavit, ut, quas controversias Saxones dedignantur per appellationes differri, eas nec ipse velit ad Cameram extrahi: iusta ratione, quod ex ante dictis patet; & prudenter etiam, quod mores Saxonum comprobavit, *facit l. 4. §. 5. & l. 7. in pr. ff. de offic. procons.**

20. Quærere hic lubet, an quod de instrumento diximus locum etiam habeat in debitis aliis liquidis, quæ licet non probentur per instrumenta, tamen per testes clarissimè probantur.

bari possunt? Quod & ipsum affirmandum putamus, non solumper ea, quæ ex *l. 18. C. de test.* adfert Myns. *quinq; testes scilicet jure civili instrumenti fidẽ ex æquare, i. obs. 5.* sed etiam ex generalitate verborum ipsius privilegii: dicit enim Imperator simpliciter: *Da das debitum bekandlich/ oder sonst scheinbar liquidum vnd richtig/* quibus verbis, ut cuius facile patet, Imperator vult omne debitum sive ex confessione partis, seu quavis aliâ ratione liquidum & clarum, isto de non appellando privilegio gaudere debere, etsi summam bis millium supra memoratam excedat. Eadem ratio est æstimationis injuriæ civiliter petitæ eam summam attingentis.

21. *Alterum est,* quod additum hoc privilegio de non supplicando etiam in dicta summâ privilegiata. Nam cum in generali privilegio de non appellando in certâ summâ Dd. disputent, an etiam supplicatio inhibita sit, *arg. sumpto ex l. un. C. de sent. præfect. prætor. ubi non provocandi, sed supplicandi licentia datur.* Hinc Serenissimus Imperator volens optimè consultum Illustrissimis Brunsvicensium & Luneburg. Ducibus, eorumque subjectis populis; nominatim apposuit de supplicando & reducendo etiam, annullandoq; & irritum constituendo, quicquid contra factum foret. Ne quis ullâ ratione privilegium hoc ipsis interverteret, aut intervertere conari posset; melius etenim est intacta eorum jura servari, quàm post vulneratam causam remedium quærere, *l. ult. C. in quib. in integ. restit. necessar. non est.*

22. *Tertium,* quod additum privilegio, est hoc, ut etiam si summa excedat privilegiatam supra memoratam 2000. fl. Rhen. summam, non permiserit tamen Imperator simpliciter appellare, & pro cuiusque lubitu; sed tùm demum, si coram Saxonis judiciis juret sanctissimum jusjurandum: (quod vulgò appellatorium vocatur; & cum juramento calumniæ magnam habet affinitatem. *Obrecht. de juram. calu. c. 4. n. 16. Reform. Ordin. Reip. Argent. pag. 32. sub. tit. iuramen-*

sum

036

tum Appellationis) se credere justā habere causam, nec pro-
trahendæ litis studio, sed ut jus suum consequatur, Camera
appellare, Cautione insuper de refundendis impensis par-
ti victrici interposita. Sapienter utrumq; cū nec appella-
tio præsidium iniquitatis esse debeat, nec lubrici litigan-
tium relinqui ut sumptibus & expensis vexent eos, quibus
gratam solutionem potius debebant.

23. *Quartum*, quod additum, est sanctio, quā poenam
complexus est Imperator, & quidem, qualem olim privile-
gio Electorum Saxoniae de nō appellando subiecit; centum
marcarum auri, quæ quantam summam hodiernæ mone-
tæ conficiant ex usu aulae Cæsareæ & Camerae Imperialis æ-
stimandū putamus: quod si Knichenio hāc in re fides: com-
plebit centum marcarum auri poena, aureos 7200. & sic
9600. florenos usuales, quorum quilibet quindecim Bazio-
nes vel viginti & unum grossos non excedit. *Knich. cap. ult.
dict. tract. de Sax. non prov. iure n. 16.*

24. Novum & illud est privilegium, quod Illustrissi-
mis Principibus Brunsvic. & Luneburg. concessit Impera-
tor Electionem Fori, si ipsi in jus fortè ab aliquo vocentur,
ut possint non attentā Camerae præventionem eligere aulam
Cæsaream, vel contra: Sed istud jam nunc non attingemus,
quibus sufficit breviter saltem privilegium de non appel-
lando declarasse.

25. *Quintum caput*, quod supra nostræ disquisitioni pro-
positum est: *quàm utile hoc privilegium sit terris & principa-
lib. Illustrissimis Principibus Brunsvicens. & Luneburgensibus
subiectis*, quod cōcernit: Non dicā, quàm arcto vinculo jun-
gat animos subditorum superiori vel principi iustitia
administratio, utpote ex quā intelligatur regalium finis,
quæ eo nomine possidētur, cōcedunturq; ut principes suis
subditis faciant iustitiam, quippe cujus causā sint instituti;
Quo nomine & argumento etiam iustitiæ debitores dicun-
tur, *Knich. c. 3. verb. ius n. 79.* Saltem hoc considero, Quod ea
ratione

ratione primum subditi Saxonici carere possint magnis impensis, & molestissimis procrastinationibus, quæ tam longinquum iter ad Cameram secum trahit necessariò, quo pacto sæpè fit, ut ex sententiâ Chilonis, Comes litis, domũ redeat miseria. Possem referre, quàm tædiosæ lites Camerales, quàm propemodum nullo cum exitu, & tantum non immortales deprædicentur: *de quo Knich. d. l. & alibi passim*, Revisiones etiam à multis annis, omnium afflictorum dolendis suspiriis immobiles hæsisse, cõqueritur post Nolden. *Limnæus lib. 9. de iure publ. c. 2. p. 197. n. 198.* Nõ quòd augustissimum iudicium insimulè; sed quòd id, quod antea accidit, provinciis illis longinquis exitiosum fore, & iustitiæ adversarium, cum principibus nostris ipse Imperator, providerit: utcunq; multitudinem causarũ nimiã, aut revisionis omissionem diuturnã caussari hic soleant. Supra jam tetigimus, hoc novo privilegio mores & leges Saxonicas confirmari, lites deminui, Ducum Illustrissimorum auctoritatem augeri, subditos suum jus facile & ex ordine consequi. Neq; igitur dubitandum est, sæpè memoratum Serenissimi Imperatoris privilegium ad summam Reipublicæ salutem & Saxonum felicitatem, quàm pulcherrimè facere. Habet hic populus, quod nemo puto facile negabit, & retinet firmiter multum antiquæ virtutis & fidei, delectatur simplicitate iudiciorum, & gaudet bono potius, & naturali æquo, quàm inextricabilibus disputationum labyrinthis. Unde convenientissimum moribus eorum gloriosissimi Cæsaris beneficium, quo suæ simplicitati relinquuntur, bonum, iustum, utile esse quis dubitet, cum è fonte iustitiæ, Serenissimo Cæsare, promanarit.

SOLI DEO GLORIA.






X 2615934

Wm







EXERCITATIO ACADEMICA

AD

PRIVILEGIUM NO-
VVM, DE NON APPEL-
LANDO, DUCUM BRNSUIC.
AC LUNEBURGENSIIUM

QUAM

A. D. T. O. M.

PRÆSIDE

Magnifico, Amplissimo & Consultissimo

VIRO

DN. JOH. OTTONE TABORE,
U. J. D. COD. ET FEUDALIUM PLACITO-
rum in Alma Argentoratensium Unversitate Professore
celeberrimo, Facultatis Juridicæ Seniore ac hodiè Re-
ctore dign. Præceptore & Fautore suo pluri-
mum observando

Publicè ac solenniter examinandam proponit,

JOHAN OTTO Von Mandelslo /
Luneburg.

Ad diem 25. Mens. Januar.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLBI,
ET JOSIAE STADELII,

Anno M. DC. L.

627.

1650, 11.

26